



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Agnes Politiana V. 20. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

20. April. VITÆ SANCTORUM. 259
Doctor, saltat sobrius nisi qui insanit.
S. Ambr. l. 3. de Virg.

S. AGNES POLITIANA V.

20. Aprilis.

NAtale solum AGNETI mons Poli-
tianus est. Quo die in lucem prodiit,
multis vicinus æther facibus stellans il-
lustris vitæ primordia celebravit. Nono
ætatis anno, quo virgines aliæ totæ pen-
dent à matribus, D. Dominici institu-
tum in sacro Parrhenone complectitur.
Quindecim annis pane & aquâ victita-
vit; sæpeque cælesti pluviam, qualis He-
bræis per desertos Arabiæ campos mo-
ventibus annona fuit, inter precandum
est operata. Tres aliquando gemmulas ei
Deipara dono dederat, vaticinata, suæ
honori aliquot ab AGNETI templa con-
stituenda. Iesulum aliàs in sinum ejus
infuderat: cujus è collo crucem eam ab-
straxit, quæ in hæc usque tempora ad
facti memoriam piorumque veneratio-
nem conservatur. Sæpè ab Angelo di-
vinam hostiam accepit. Balneum, quo
valerudinis causâ utebatur, cælesti man-
na instratum eoque loco fons medicæ
salubritate præditus erupit. Et quem
admodum sæpè divinos genios vivens
habebat hospites, ita moriens eosdem
adepta comites, in cælum evolavit,
anno salutis M. CCC. XVII.
MOR.

256 VITÆ SANCTORUM. 21. April.
Mortem multi infantes à suis cunis, quâ
sermone, quâ cantu celebrarunt. Corpus
putredine taboq̄ue intactum virtutum ac
præcipuè castimonix luculentam præbuit
testificationem. Ex Bullâ Canonizat.

*Ut sancta anima Christi caractere utro-
bique signetur, eum in corde suo signacu-
lum ponat, ut amoris ejus facibus medulli-
tus inardescat; ponat etiam in brachio,
ut piis operibus valenter insistat. S. Pet.
Damian l. 7. ep. 9.*

S. ANSELMUS EP. 21. Aprilis.

FAcilè mundum despicit, quisquis æ-
quis oculis aspicit. Testis luculentus
ANSELMUS est. Vidit hic (nebulam ab
oculis Deo removente) quem nos mun-
dum dicimus, immundam, quâ patet, pa-
ludem esse, cœni omnis ac sordium col-
luviem: in hâc volutari miseros homun-
culos; hinc delicias suas haurire delictu-
los, hinc gemmas quærere avaros, hinc
triumphare ambitiosos. Miratus AN-
SELMUS posse tam sordidâ lacunâ
piscis gaudere tam nobiles, oculum
ad religiosorum septa transfudit, &
ædes sibi videre visus est regio opere
structas, & omnibus delitiis affluentes.
Has itaque ingressus, ex Monacho Cœno-
biarcha, ex Cœnobiarcha Pontifex Can-
tuariæ mortuus memoratur, anno M. C.
IX. vir qui è minimis quibusque rebus
maxima